

H  
1466

AD  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
VIRI PERILLVSTRIS  
DOMINI  
**RVDOLPHI FERDINANDI**  
LIBERI BARONIS  
DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV  
HAEREDITARI IN KLEIN-EILA, CRASCHEN, PAVSEN, DAVBER  
BVCHWALDE ET BARG  
D. XVII. APRIL. A. R. S. CID 10CC XXXVI.  
HORA X  
IN AVDITORIO ICTORVM  
CELEBRANDAM  
**RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM**  
**ILLVSTRISSIMOS COMITES**  
VTRIVSQUE REIPVBЛИCAE PROCERES  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES  
OFFICIOSE INVITANT  
TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM  
DECANI, SENIORES, RELIQVIQE ASSESSORES.



SA  
THERMOMAIA MAMMATHARAKA  
VIRI FERITATIS TRIS  
DOMINI  
KADOCHE HERDINANDI  
IBSEI ETIONES  
SILVUSTEN TE PUNICAN  
IN CEDRANT IN HENI HEN  
TACHYANTES ET HEG  
D. XHN TPHN A L E O D S D C D C D  
HOM X  
IN VASITATI CO  
CECLOREI AGORHIE MABINONI  
ILLASTRISIMUS COMITI  
ATHIASOAL REIPUBLICAE ROMANE  
CENSERIO HENOC TUDOR MOLISTONIS P. HENOC  
OCTAVIUS HENOC  
THYM SAPERIOZAI MECURATAM  
TECVNI SEMINARIIS TUDORIS ACERIOZAI





ecce ac paeclare factorum fructus ad conscientiam magis quam ad famam ac laudationem aliorum referre, purioris et mentis defaecatae est argumentum. Quemadmodum enim ius dicenti, quo magis officio satisfaciat, premium accipere turpe habetur, ita nobilissima honestatis pars intercidere videtur, si hoc maxime consilio, ut laudentur, ii ipsi, qui boni sunt, tales existant. Est tamen et in hoc, ut in reliquis, imbecillitati humanae aliquid dandum, ut vanitati laudes aliorum auide expectantium aliquantis per indulgemanus, modo hi vicissim paeclaris facinoribus bene de humano genere aut publica re mereri studeant. At haud raro bonam fidem in tribuendis laudibus laudatores, vel qui rectius per anagramma adulatores dicuntur, non seruant, ut etiam imprudentiae vel vanitati aliorum illudentes callido laudum inuolucro famam ac fortunam eorum, quos collaudant, lacestant, aut ipsis laudibus per transuersum tertio cuidam noceant. Quod ipsum laudandi genus, uti quavis manifesta calumnia acutius est, ita infelix quorundam ingenium adeo exacuit, ut sermone, nutu, imo et taciturnitate improbis laudibus ad obtreestationem aliorum vti sciant. Tuta quippe et haec via illis visa est, qui eos, quos oderunt, simul metuunt, aut si ipsi potentiores sint, offendisse faltem alias pa-

rum rati, publico adhuc risui, quibus imminent, exponere gloriosum existimant. Magnae enim autoritatis aut doctrinae viri hoc sensu interdum abundant, vt nouus illis obrectandi modus sit inuentus, quo non vituperando sed laudando famae et comodis hominum insidiantur; et *peſſimum inimicorum genus laudantes* omnis Politicae doctrinae grauissimus magister TACITVS in *vit. Agricolae cap. XL I* existimat. Aemuli plerumque in aulis *palam compoſito pudore laudibus in alios criminores*, eodem perhibente in *Annal. l. IV. c. 1.* euadunt, et verborum fucis ac nimiis laudibus, virtutum saepius nomina vitiis apertis substituendo, onerant, aut commendationibus ad ea munia ac honores promouent, qui exitio Phaethonti nimium viribus suis fidenti, aut opprobrio promouenti ac patrono inepti clientis sint futuri.

*Nec tamen esse Iouem satis est:*  
*quantuscumque et qualis ab alta*  
*Iunone excipitur; tantus talisque rogato.*  
*Det Tibi complexus:*  
hortabatur improvidam Semelen Juno, vt  
*Laetamalo, nimiumque potens, perituraque amantis*  
*Obsequio*  
implacabilis odii victima fieret. OVID. *Metam. l. III. v. 284 seqq.*  
Hinc ad subeundum munus singulari cum honore coniunctum subdole commandant, qui incatum malo leto breui in hoc peritum praeuident. Splendidior quandoque titulo longius aula arcent, et Mucianum, qui Antonium *quia propalam opprimi nequibat, multis in Senatu laudibus, citeriorem Hispaniam discessu Cluui vacuam ostentans, cumulabat, ac simul amicis eius Tribunatus et Praefecturas largiebatur*, TACIT. *Histor. l. IV. c. 39.* imitantur. *Fabius Manlium Valentem quo incautior de-*  
cipe-

ciperetur, palam laudabat, TACIT. L. i. Histor. c. 64. in f. et  
Augustus honora oratione quaedam de habitu cultaque et insti-  
tutis Tiberii dicebat, quae velut excusando, ipsi exprobrabat,  
id. Annal. l. i. c. 10. in f. Andronici laudes initia iniuriae, liberali-  
tatem indicium publicationis bonorum, lenitatem mortis prodro-  
num dixit NICE TAS CHONIATES Annal. Andron.  
Comm. l. i. c. 4. Norunt enim isti laudum iniquarum artifices,  
quod eiusmodi callide dicta, haud secus ac hami recurui directis  
mucronibus tenacius haerent.

Huic vni solent studio se dedere et arti,  
Verba dare, ut caute possint pugnare, dolose  
Blanditiis certare, bonos simulare viros se  
Nocendi insidias struere.

LVCILIVS apud LACTANTIVM de Iustit. L. V. ait: Hinc,  
quem modeste amicus reprehenderet, encomiis exornant, tum ut  
fuo vitio sibi placeat, tum vero, ut ipsum animi vigorem laus  
sensim laxer, et longius progredi aut altius eniti laudatus dein  
desinat. Si quis vero hoc artificium eludat, laudibusque ad ma-  
jora feratur, Seianus aliquis amicos subornare nouit, qui olim,  
ut ipse Agrippinam Tiberio suspectam redderet, spes eius ultra  
licita inflabat, et proximos alliciebat ad tumidiores spiritus lau-  
dibus extimulandos. TACIT. L. IV. Annal. C. XII. in f.  
Tempus his quoque inseruit ad nocendum per laudes, ut aliis,  
qui laudando aduersantur, praesentibus, merita hoc consilio in-  
tempestue praedicent, quo vel ipsi apertius confutentur, vel il-  
li, quos laudant, audientibus magis exosi reddantur. Et quid  
de illis dicemus, qui laudes profundunt, ut censuram tutius an-  
neclere queant. Catonem, cum ingenio sit mitis, trucem in-  
terdum esse scio L. Valerius apud LIVIVM L. 34. c. 5. aie-  
bat, et Seruji Sulpicii nobilitatem tametsi summa sit, tamen

*bominibus literatis et historicis notiorem, populo vero et suffragatoribus obscuriorem CICERO Orat. pro L. Muraen.*  
fugillabat. Maioribus quandoque ausis et laetiori fortunae seruant, quos praesenti, quod desiderant munere arcere, ac stadium currentes supplantare laborant. Utinam laudarent hi, SENECA Ep. 41. monente parcus ut vituperarent parcus: Sed et hoc artis est magis adhuc vafrae, ab ea praestantia laudare, quae ad obeundum munus minime est necessaria, illamque omittere, qua procus ille non erat defraudandus. Est enim hoc honore illum, qui proponitur, indignum monstrare, quem in iis tantum, quae ad rem non sunt, laudamus. Quin et laudes eo dirigi obserues, ut, euehendo minime merentem, alii tacite simul reprehendantur, nec tam amore laudati, quam odio reliquorum vni faueatur. Immoderatus quoque laudant, qui lucri causa amicitiam credulorum venantur, et hoc ipso, vel arcana scrutantur, vel parasitorum more magnifice dictorum praemia expectant.

*O qui tuarum corue pennarum est nitor!*

*Quantum decoris corpore et vultu geris*

*Si vocem haberet, nulla prior ales foret.*

Multi enim dum vocem ostendere volunt, deceptum tunc stuporem produnt et emittunt, quod auditis dentibus dolosa apud PHAEDR. L. i. Fab. 5. vulpes rapiat. Alphonsum Sapientem cum praeter solitum hominem vafrum alium laudare audiret, existium haud dubie ei, quem laudat meditatur, ad amicos conuersum respondisse perhibet ANTONIVS PANORMITANVS in Apophth. b. viius regis p. 57. Est illud, quod HORATIVS Epistol. L. 2. i. v. 209.

*laudare maligne*

vocat, et, ut Augustus, quem tota epistola extulerat, hoc a se alienum putet, rogat. Denique et calliditas quorundam eo procedit,

vt



vt vel inepta laude, ac publico mendacio arrogantiam credulorum  
mulcent, vel qui ab omnibus histrio habetur, panegyristam hoc  
studio excitant, vt sicuti laudarier a viro laudato laus maxima,  
ira et laudantis turpitudo in laudatum redundet. Antisthenes  
enim, audiens ab improbis quibusdam se laudatum, vereor, dixit,  
ne quid mali imprudens fecerim. DIOGENES LAERT.  
*L. VI. c. 1.* Sunt etiam, qui ut ingenium monstrant, hoc ipsum  
maligna sed ingeniosa laude prodere amant, et amicum perdere,  
quam vocem malunt. Iocorum inde ac facetiarum velo maledi-  
centiam cooperiunt, et saluum condimento insulso quoque se per-  
fricare posse, laetantur. Rerum ludicrarum oratores in hoc imi-  
tantur, qui in eo haud ultimam eloquentiae laudem posuerunt, ut  
rem omnium iudicio reprobatam verborum lenociniis extollerent,  
non tam ipsius rei laudandae, quam ridendae animo, utque  
ipsimet ex aliorum ignominia sibi eloquentiae dignitatem pa-  
rarent. Hos ipsos tamen, praecipue si laudes fictitias, ad vitii de-  
formitatem monstrandam adornauerint, lubentius ferimus, et si  
directe nocendi studium in sinu non gerant, suo ingenio abundare  
liberaliter patimur. Quod si vero arma sua, aequiuocationem et  
ironiam, non tam ad retundenda vitia, quam iniuriam adferant,  
aculeis istis, ut certamine gladiatorum inspecto interdum quidem  
laetamur, ipsos vero, ut crabrones, et fugimus et odimus. Has  
vero, et plures insidias ex laudibus paratas, mens recti conscientia,  
quaeve rectum, ut rectum, amat, non extimescit, et si quando  
noceant, sibi laudes quippe non quaerenti adeoque praeter omnem  
voluntatem aut culpam accidisse, se solatur. Virtuti ipsa virtus  
iam praemium est, cui hedera non nisi imitatione suspendenda.  
Quae enim nos a tergo sequi debent ante oculos habuisse adeo  
contra naturam est, ut laudes, quas virtutem, dum huic honor  
suis constabit, sequi naturali necessitate certum est, vir, qui na-  
tura ordinem tantum intuetur, nunquam pro meta, ad quam con-

ten-



358 1466  
tendit, habere possit. Hae extra intentionem agentis positae  
longe pulchriores: ad officia aliorum pertinent, quibus satisfecisse  
ingenui debitores, non tam creditoris, quam sui ac fidei liberan-  
dae gratia gestiunt. Huius officii et nos memores *Perillu-  
stri Viro DN. RVDOLPHO FERDINAN-  
DO LIBERO BARONI DE SILVERSTEIN*  
*ET PILNICKAV*, illa ipsa die, quae nomen Rudol-  
phinum in fastis gerit, iusta post funera persoluemus. Quia ipsum  
amamus, vt *PLINIVS Lib.1. Epist.14.* grauiter hortatur, laudibus  
non onerabimus: Grati videbimus, institutioni eius morem geren-  
tes, et illos, qui magnifica eius liberalitate etiam post fata ornan-  
tur, tanti muneris praecones in solenni Panegyrisitemus. Perora-  
bunt scilicet solenniter et quidem ex Theologorum ordine

**CHRISTIANVS VALERIVS WEID-  
LINGIVS, Ileburg. Misn. de eo, quod di-  
uinum est, in sorte.**

alter ex scholis ICtorum prodiens

**IOANNES GEORGIVS REICHARDT,**  
Olsn. Siles. de *Cura Magistratus circa famam*  
*Subditorum.*

Tertius Medicæ doctrinae alumnus

**M. CHRISTIAN. GOTTLIEB LVDWIG,**  
*de mente tranquilla, fundamento sanitatis.*

et beneficentiam d. XVII. April. munifici Herois pie recolent. Vos  
vero, *Rector Academiae Magnifice, Illustrissimi Comites*, utriusque reipublicae patres ac proceres grauissi-  
mi, *academiae ciues generosissimi nobilissimique*, offi-  
ciose rogamus, vt et memoriae Viri Perillustri, Academiae nostræ  
quondam impense fauentis, et ipsis Viris Iuuenibus ornatisimis, hoc  
tribuatis, quod et religio erga defunctum, et amor erga nostros  
suggerit. Dab. Domin. Misericord. Dom. A. clo lccc xxxvi.

---

LIPSIAE

-HOC LIBRUM BE  
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

mc.



Hf  
1466

AD  
MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
VIRI PERILLVSTRIS  
DOMINI  
LPHI FERDINANDI  
LIBERI BARONIS  
VERSTEIN ET PILNICKAV  
IN KLEIN-EILA, CRASCHEN, PAVSEN, DAVBER  
BVCHWALDE ET BARG  
. XVII. APRIL. A. R. S. CIC 1500 XXXVI.  
HORA X  
AVDITORIO ICTORVM  
CELEBRANDAM  
EM ACADEMIAE MAGNIFICVM  
LVSTRISSIMOS COMITES  
SQVE REIPUBLICAE PROCERES  
MOS ATQVE NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES  
OFFICIOSE INVITANT  
VM SVPERIORVM FACVLATATVM  
ENIORES, RELIQVIQUE ASSESSORES.

